

W C  
542



149  
4  
ILLUSTRISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,

D. JOHANNI  
ERNESTO JUNIORI,  
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ,  
Cliviæ, & Bergæ, Landgravio Thuringiæ,  
Marchioni Misniæ, Comiti Marchæ & Ravenspurgi,  
Domino Ravensteinii. Magnificentissimo Rectori Aca-  
demix Jenensis, Domino suo clementissimo.

*Victoriam auspiciatissimam, & primam coronam  
in ludis equestribus ab Imperatore Augustissimo, Serenissimis Ele-  
ctoribus, Celsissimis Principibus, Generosissimis Comitibus ac Baro-  
nibus, & deniq, Nobilissimis ab equitibus Francofurti, Die 17. Junii, hujus  
labentis anni factis, DEO DUCE, virtute Comite, fortunâ pedisequâ  
feliciter partem subjectissimè gratulantur omnes  
boni*

Sed maximè tamen Academiae Jenensis  
Cives & Alumni præsentés simul &  
absentes.



J E N Æ,

Typis HENRICI Rauchmaul.

ANNO 1612.

ILLUSTRATISSIMO PRINCIPI

A C D O M I N O

D. JOHANNI

ERNESTO JUNIORI,

DUCI SAXONIAE JULIAE,

Civitate & Bergae, Landgraviae Thuringiae,

Marchionum Milinae, Comitum Marchiae & Ravensburgae,

Domino Ravensburgae, Regibus Saxoniae & Borussiae,

Domino Saxoniae, Domino suo clementissimo.

Veritas in seipsum, et prima coronata

in luce operibus ab operatore angustissimis, secretissimis et

clarissimis, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum, et in seipsum,

Seo maxime tamquam Academiae Jenensis

Civis & Alumni praesens sumi &

absentes.

J. E. N. E.

Typis Henrici Brandmanni

ANNO 1712.



## I.



Xere jam tandem Juvenis celsissime vires  
 JAN-ERNESTE tuas Martis & artis  
 opus,

Nec te pœniteat Musarum castra sagaci  
 Perlustrasse animo Pieridumq; choros.

Artem Mars sequitur fortesq; ad fortia mittit.

Musa nec imbelles degeneresvè facit.

Litterulæ lingvam; dextram mavortia facta

Informant; pietas pectus: amica Trias!

Hanc in te Cæsar miratur, & inclitus Ordo

Imperii procerum, Nobilitasq; frequens.

Præripis hâc palmam cunctis: Nam dextra Potentis

Dexteritate manum, lingvam animumq; regit.

Hoc Duce Victor abis famâ super æthæta notus

Hic lauro crines cingit & ense latus.

Hunc Tibi propicium semper precor. Omina fausto

Applaudunt Proceres, Cæsar & ipse. Vale.

*Abraham Lange S. Th. D. Aul. Vin.*

*Ecclesiast. & ejusd. Diœces.*

*Inspector.*

## II.

*S*chwerdstettensi aquila; meritæq; in agone corolla

*Quis quæso felix omen inesse neget?*

*Arte vales & Marte vales Dux inclyte, laudem*

*Nominis à sera posteritate ferēs.*

*Johann. Gerhard D.*

A 2

III. Pro-

*Prosopopeïa Salana*

Ad

*Illustriss. Principem atq; Dn.*

**Dn. JOHANNEM ERNESTUM,**  
**Ducem Saxoniae &c. Rectorem ma-**  
**gnificentissimum.**

**I**AN-ERNESTE tui mensuram nominis implens  
 Ipse tibi famâ pandis ad astra viam.  
 Excitet ille abavus JOHANNES pacis amator,  
 Excitet ERNESTUS Martius ille furor.  
 Fama voluptatis cumulo me nupera totam  
 Complevit stringens mentem animumq; mihi;  
 Ensiserum cinxisse latus gladio, torquemq;  
 Jure sodalitiî ferre dedisse tibi.  
 Rettulit & divo MATTHIAE sceptrâ coronamq;  
 Imperii proceres contribuuisse sacri.  
 Quâ Mœnus rapido FRANCFURTI mœnia cursu  
 Præterit, & fluvio proluit arva suo.  
 Hic ludum indixit Cæsar, referebat, ut orbem  
 Qui medium; donum ferret & ille simul.  
 Ipse volans Cæsar primus medium abstulit, illi  
 Quam merito primas fata dedisse putas?  
 Hunc Electores aliquot, sanctusq; Senatus  
 Principum ut & Comitum nobiliumq; cohors  
 Ingenti sequitur numero; solum tamen inter  
 Hos JAN-ERNESTUM palma secunda manet.  
 Præsul at Elector, quem diva Colonia misit,  
 Ex auro poculum præmium habere dedit.  
 Poculum habens cervi formam, cui nuda Dione  
 Insidet, & plenâ cinctus Amor pharetrâ  
 Venatum hæc ducit binos, quorum Anglia misit  
 Alterum, ut invigilet cingere septa, canes.

Hic

Hic sub virgultis lepores videas latitare,  
 Muscarum hinc atq; hinc & volitare genus.  
 Alta duos digitos basis hinc facit arte magistra  
 Cornigerum auratos sponte movere pedes.  
**RUTENUS** senior proavis hoc mille superbus  
 Prætulit, ut mos est, alite vectus equo.  
 Hoc equidem fieri reor haud sine numine divum,  
 Est nec in augurium mens mea læva tuum.  
 Nam Celadon senior fatorum arcana tuorum  
 Mente revolvebat cuncta notans memori.  
 Sacrorum curam, connubia læta canebat,  
 Cum divis firmum fœdus amicitia.  
 Sacra notat Præsul, thalamos Citherea secundos,  
**RUTENUS** Rutæ signat amicitiam.  
 Laudem cervus habet, quem machina commover, ibit  
 Illa per ignivomi Solis utramq; domum.  
 Musca levis, pictus squalentia terga lacertus,  
 Quæ vincenda tibi, denotat invidiam.  
 Sceptrigerum imperii lætatum, credo quod abs se  
 Saxoniae Princeps dona secunda tulit.  
 Illa domus pietatis amans, & pacis asylum,  
 Rebus in adversis non rude pectus habet.  
 Gratulor hoc postquam tibi, vix mihi credis, alumna  
 Pertentent pectus gaudia quanta meum?  
 Non sine me tibi partus honos, pars una Magistri,  
 Altera pars mea, sed tertia tota tua est.  
 Ne cedas cœptis moneat te fida canum vis,  
 Gloria inexhausto nempe labore venit.  
 Dulce equidem digitis monstrariet, ille parentes  
**ERNESTUM & JANUM** Martis & artis habet.  
 Sanguinis hæc laus est, ausis sed utrumq; referre,  
 Hoc opus; hinc poscens ille Rhodus choreas.  
 Perge tuo exemplo, virtute incendere fratres  
 Septenos artis Martis & illecebras.  
 Exemplo vobis fuerint quatuor patruales,  
 Altenburgiacæ firma columna domus.  
**JANE PHILIPPE**, tuis, **FRIDERICE**, & **JANE GUILLEME**,  
 Inceptis meritò mollia fata precor.  
 His, **FRIDERICE GUILLEME**, addis te, nomine patrem  
 Ipse refers, factis æmulus esse velis.

A 3

Testis



Testis ELISTER erit qui primo ætatis in ævo  
 Ad laudem vobis monstrat inire viam.  
 Omnes illustres animæ, Heroum incrementum,  
 Rutæ florentis germina conspicua.  
 Tollitis in magnam spem nos, in utrumq; paratum  
 Quod sese cunctis quisq; probare queat.  
 Sollertes dabitis vos, seu quis ludicra Martis  
 Arma cupit Musis sive vacare lubet.  
 Ite per exemplum vestrorum quisque parentum,  
 Addite vestra horum nomina nominibus.

Johannes Suevius D.

IV.

**M**acte animo juvenis, virtuteq; macte. Quod olim  
 Civibus Eleis, victor Olympiaci,  
 Hoc tu subiectis, Primis mirentur ab annis  
 Sic te subiecti. Prædicet Imperium.  
 Hanc tibi, Pastori populi, Jovis armiger ales  
 Portendit palmam, limite capta tuo?  
 Unguibus imbellem prædam dum captat, in agro  
 Armiger Augusti quem notat ense suo.

Principi suo Victori

Devotè acclamabat,

Fridericus Horsleder.

V.

Parodia Horatiana ex II.  
Carm. Od. XII.

**N**olis longa scholæ tædia, PRINCIPUM  
 JAN-ERNESTE, Decus, nec procerum mare  
 plenum difficili consilii alite  
 aptari cytharæ modis

nec

nec noctis tremulâ voce boatuum,  
clamotes, domitosq; augurio bono  
effrenes juvenes, unde periculum  
florens contremuit schola

FRIDRICI proavi. Sed melius tua  
dicent historiae praelia, COESARE  
Spectante & populo, ductaq; per vias  
tacti vascula circuli.

Et me Musa Ducis pondere dexteras  
hastas, me voluit dicere floridum,  
præstantes animos & meritis bene  
dignum pectus honoribus.

Quem ferri nec equo dedecuit cito,  
nec certare foro, nec dare brachia  
Vibrantem jaculis æta, COESARIS  
ROMANI celebrem die:

Num tu quas tulerit dives America,  
aut quas pinguis opes fuderit India  
permutare velis fœnore, quod DEUS  
& COESAR dedit inclutus?

dum vas INDUPERATORIS datur aurcum,  
aptaturq; comis viva corollula,  
& dextræ facili lucidus annulus  
tandem virgineâ manu.

*Collegii Philosophici p. r.  
Decanus*

M. Thomas Sagittarius, Professor  
Publicus.

VI.

PARODIA HORATIANA

*ex lib. 2. Carm. Od. 19.*

REGEM *celebris ludicra Circuli*  
Vidi parantem: (credite posteri:)  
Ducesq; certantes, & apte  
Egregieq; scopum petentes.

*Evax!*





Evax! novâ cor letitiâ exilit:  
 Plenoq; Phœbi flamine turgidum  
 Exclamat: evax! plaude **PRINCEPS,**  
 Plaude tuo memorande honore.

Fas prepotentis sit mihi **CÆSARIS**  
 Scitè elaboratum αὐτομάτων, scyphum &  
 Cantare gemmatum, atque sertum:  
 Præmia digna Ducis trophæo.

Fas & novellum hunc Ordinis additum  
 Augusti honorem insigniaq; aurea:  
 Quæis te sacri **IANUS GEORGIUS**  
 Ensifer Imperii beavit.

Tu **REGIS** in te, tu procerum omnium,  
 Tu lauriportis splendidus in jugis,  
 Sic **JANE-DUX-ERNESTE** flectis  
 Non sine laude decente vultus.

Tu, cum brabeium nomine **Cæsaris**  
**COLONIENSIS** traderet inclytum,  
 Sermone deprômsti polito  
 Socraticoq; lepore grates.

Tu nempe tali munere dignior  
**WERDERO** eras: quanquam sat idoneus  
 Hic ipse censebatur, idem  
 Victor, & hoc tibi par honore.

**TE** ducat almus Spiritus, aureis  
 Donis decoris; desuper applicans  
 Auram: & repellens viperinas  
 Demonis insidias maligni.

In ejusdem Symbolum.

**SAPIENTER ET CONSTANTER.**

& alterum Dn. Parentis

beatiss. mem.

**DOMINE DIRIGE ME IN VERBO TUO.**

Tege-

Τετραστιχον αναγραμματικον.

**JOHANNES ERNESTUS**  
**DUX SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE ET BERGAE,**  
**LANDGRAVIUS THURINGIAE, MARCHIO MISNIAE,**  
**COMES DE MARCA ET RAVENSPUR-**  
**GO, ET DOMINUS RAVEN-**  
**STEINI.**

**U**t SAPIENTER agam res ET CONSTANTER agendas:  
 ME DEUS IN VERBO DIRIGE vive TUO.  
 En! mihi es auxilio: sic de in rege numine, JOVA:  
 En! lux, ara, salus, anchora sacra mihi.

*Elias Reusnerus Leorinus Histor. & Poet.  
 in Salanâ Profes. publ. devota congra-  
 tulationis & obsequii ergo F.*

VII.

**D**um Patris in solio, Fratrisq; locatus a vitam,  
 Induitur trabeam, sceptriq; potitus honore  
 Germanis, Italisq; viris dare mascula jura  
 Incipit ad gelidi primùm vada pervia Moeni  
 Matthias patrii novus arbiter orbis, & urbis  
 Romuleæ, ditione tenens fortesq; Bohemos,  
 Pœoniaq; graves populos, veteresq; Liburnos:  
 Tu quoq; Saxonix Princeps *Erneste Johannes*  
 Francopori patulos dextro petis oscine muros,  
 Spectatum veniens, veniens specteris ut ipse.  
 Risit Atlantiades lætissimus hospite tanto,  
 Dives Atlantiades, magnæ qui præsidet urbi.  
 Sed Mars, hic meus est Princeps ait, aspice, ferrum,  
 Ille feret deinceps: quæstus tua cura, tuum cor,  
 Penula zingiberi, piperis toga, vestis olivæ,  
 Et si quas alius merces temerare soletis  
 Tuq; , tuiq; fide: sed parcere præstat amico.  
 Hæc ita Gradivus solitâ jam percitus irâ,

B

Vera

Veratamen dixisse Deum patet, optime Princeps,  
Paucorumq; moram constat docuisse dierum.

Nam cum sufficeres armis, frameæq; gerendæ,  
En tibi jus gladii, propriâ Septemvir & ensem,

Ipse manu defert, prisco de more parentum.

Ensifer Imperii, sub quo tutore beatus

Exigis innocuæ florentia secla juventæ.

Inq; sui partem quoq; te vocat ordinis, in quem

Non, nisi quos nebulas supra, nubesq; citatis

Alma vehit pennis virtus, adsciscere fas est.

Post ubi quinta dies roseo fulgebat olympo,

Imperii Cæsar proceres ad equestria Martis

Protinus invitans certamina præmia ponit,

Præmia gemmatis lucentia pocula signis,

Argentiq; graves loculos, auriq; talenta.

Si qui fortè velint tenues hastilibus orbes,

Et rapido, faciliq; manu destringere ferro,

Perq; citis equites circum volitare caballis.

Conveniunt, quos laudis amor, quos gratia Magni

Cæsaris, & virtus sibi non malè conscia blandis.

Exciet illecebris, generosaq; pectora pulsat,

Summis cum Ducibus, Comites, mixtiq; Barones.

Et quos Nobilitas prisca ab, origine longa,

Ducit avis, sine labe viri, sine crimine vitæ,

Octoni numero decies, septemq;, fidelis

Quos Dea Mnemosyne, quos publica fama recenset.

Jam loca sortiti spacium sibi quisq; tributum.

Occupat, & cupidas interritus arrigit aures.

Mox, ubi commissos ludos tuba nunciat: Ecce

Primus abit ventis, & fulminis ocyoralis

Matthias rerum dominus; quid quærimus? aufert

Orbiculum, plausuq; volat, fremituq; secundo

Cæsaris exemplum, monitusq;, fidemq; secuti

Incurrunt alii, laxantq; decenter habenas,

Præci-

Præcipitesq; ruunt, metamq; feruntur ad illam  
 Pendula qua certis patet ictibus, ordine, quem fors  
 Cuiq; dedit, fodiuntq; viri calcaribus armos  
 Quadrupedantis equi, celeres qui curfibus auras  
 Provocat, & summâ vestigia ponit arenâ  
 Aliger, & calidos spirans è naribus ignes.

Ille scopû medium ferit, hic quæ proximus ambit  
 Circulus, extremas alius perstringere ferro  
 Vix potis est oras, effundit in aëra vires  
 Ultimus, & vacuum prædâ sine surrigit hastam.

Hos inter medius, ceu Phosphorus inter Olympi  
 Sidera, conspiceris Princeps *Erneste Johannes*  
 Vectus equo spumante, Ducum flos inclyte, nonâ  
 Jam vice Salani caput, & decus omne Lycei.  
 Tu quoties medio citus æquore curris, amica  
 Prosequitur caveæ studiis te concio. Vidit,  
 Vidit, & obstupuit, toties te figere metam,  
 Et validâ penetrare manu, captamq; referre,  
 Magnorum gravis ordo patrum, populiq; Corona.

Unus erat numeri tibi par *Detrichus* honore  
 Nobilitate potens *Werdenius*, hic ubi Sala,  
 Et vagus *Alcanios* *Albis* spatiantur in agros,  
 Quem tua *Mauriti* Princeps fovet aula, beatos  
 Cattorum populos, qui Martis & artis alumnus  
 Imperio longâ patrio sub pace gubernas.  
 Huic quoq; jam solus soli contendere iussus  
 Victor abis, palmamq; capis, meliorq; triumphas.

Exoritur clamorq; virûm, clangorq; tubarum,  
 Tympana pulsa fremunt, magnoq; fragore tremiscunt  
 Ardua tectorum, cœlum procul omne remugit.  
 Exaltâ glaucum *Mœnus* caput exerit ulvâ  
 Sed refugit, metuitq; novas sub gurgite turbas.  
 Stat sonipes & frena ferox spumantia mandit

B 2

Argu-

Argutisq; caput micat auribus, & tremit artus,  
 Hinnituq; furit superas animosus in auras;  
 Nec mora: Judiciū Princeps ad equestre vocaris,  
 Et te victorem placido pius ore salutat  
 Præsul, quem dominum non dedignabere priscis  
 Nota per imperium populosa Colonia seclis,  
 Fernandus Bojæq; domus, sacriq; palatiū  
 Et Comes, & tumidi Princeps ad cornua Rheni.  
 Virtutemq; tibi, partosq; lubenter honores  
 Gratatur, studiumq; novi (quem numina fervent)  
 Et patrocinium semper tibi Cæsaris offert.  
 Utq; teras hoc laudis iter, similisq; parentum  
 Esse velis deinceps, verbis hortatur amicis,

Hæc ita Septemvir: mox inclyta dona benigni  
 Induperatoris peragens tibi tradit habendum  
 Insignem phaleris cervum, maculisq; decorum,  
 Non qui Semanæ peragret juga pinea sylvæ,  
 Arduennamq; fugâ superet, saltusq; per altos  
 Hercyniæ captet gelidam sub frondibus umbram,  
 Sed novus argento crater fabricatus, & auro,  
 Quem fortasse queas magnam vocitare culullum.  
 Hujus tegmen erat Dea nuda, nec omnibus idem  
 Est animus, castinè Venus sit mater amoris,  
 An Dictynna magis: pars invenit utraq; caussas.  
 A tergo pharetratus amor stridentia torquet  
 Spicula: sed illa prior, dextraq; manuq; sinistra  
 Ichnobatenq; trahit loro; fortemq; Molossum  
 Venatum dubiæ per tesqua virentia sylvæ.  
 Hic lepores latitare vides, pictosq; lacertos,  
 Et scarabæorum crustas, gracilesq; cicadas,  
 Nec tacitas alibi ranas, nisi parva Seryphus  
 Quâ jacet, & medio depressior æquore fumat.  
 Pes cyathi rotulis, si tendere cœperis, actus  
 Sponte sua facit ire feram, certatq; columbæ,

Quam

Quam maris & terræ, numeroq; carentis arenæ  
 Nubiferas mensor docuit volitare per auras.  
 Cæsaris hoc virtus te munere donat, & ipse  
 Lætus adest, coramq; tuos videt auctor honores  
 Terga premens sudantis equi, cui patria tellus,  
 Quæ currus fluvio lavat ultima Solis Ibero,

Quid tibi tunc animi Princeps? calor igne<sup>o</sup> omnē  
 Urebat faciem pulchros diffusus in artus.  
 Mens tamen una manet, tandemq; silentia rumpens  
 Non equidem tantis me dignor honoribus, inquis.  
 Si tamen hanc palmam nemo movet ordine: summi  
 Cæsaris egregium munus, vestriq; favoris  
 Esse scio, fateorq; lubens, semperq; fatebor  
 Et grates reverenter ago, memorisq; vicissim  
 Pectoris obsequium voveo, dum vita manebit.

En sifer hæc lato Princeps obit omnia visu,  
 Inq; sinu gaudens decus hos commune, sibiq;  
 Esse putat, domuiq; suæ, quæ plurima Rutæ  
 Germina pulvillis rigui benè nutrit in horti.  
 Tum verò capiens tibi tradita munera, Princeps,  
 Accola magnanimus vitrei Ruthenus Elistri,  
 Garrula qui sacris Geræ facit ocia Musis,  
 Os humerosq; Deo similis, gressusq; viriles,  
 Te præit, & mediâ defert sublimis arenâ.  
 Interea lituiq; sonant, & cornua: festo,  
 Quid verbis opus est, omnis strepit aula tumultu.

Et jam finis erat, fessioq; ruebat Olympo  
 Vespera: tum choreas plaudunt, pedibusq; treme<sup>t</sup>  
 Alternis quatiunt terram Juvenesq;, Viriq;,  
 Et faciles doctæ gyros agitare puellæ.  
 Hic alius tibi surgit honos, mitissime Princeps,  
 Nam tibi fert primas virguncula bellula grates,  
 Illa Palatino fata sanguine, datq; corollam

A 3

Cui

Cui puri rutilans erat additus annulus auri.  
 Hoc tua certa manus pepetit tibi munus, & hasta.  
 O dryfo sacrandæ Deo, memorabilis hasta,  
 Transadigens toties dubium sine fraudibus orbem.

Hos igitur ludos, Princeps *Erneste Johannes*,  
 Quæ censes precor esse tuæ præludia vitæ?  
 Dicam. Quæ melior tibi fors dedit, illa profectus  
 Wimariâ vix dum poteras sperare: sed omnem  
 Spem superasse vides æqui pia numina cœli.  
 Hæc eadem fortuna virum comitabitur, & te  
 Provehet ad summos, & eris quoq; dignus, honores  
 Acris hyems miseram plus quam duo secula pressit.  
 O Enagoram, Cauri q; graves, Borea q; furentes  
 Evomere nives geminâ, quis nescit ab ursâ.  
 At deinceps ibunt tepidi genalia veris  
 Tempora, tum culmis agros cerealibus æstas  
 Vestiet, autumnus fruges effundet, & omnes  
 Amissas reparabit opes concordia, fuscis  
 Scindere quam quondam potuit dolus unus Iberi.  
 O utinam liceat mihi tum quoq; ducere vitam,  
 Cum patrias olim Princeps moderabere terras.  
 Non me carminibus vincet Rhodopeius Orpheus,  
 Nec Linus, aut veterum quidquid fuit undiq; vatum  
 Conaborq; lubens totum vulgare per orbem  
 Saxonica laudesq; domus, & nomina Gentis.  
 Claudite jam rivos pueri, lat prata biberunt.

*Debita subjectionis  
 ergo F.*

*Wolfgangus Heider M.*

**IIX. IN-**

## IIX.

## INGRESSUS VINARIAM

*Illustrissimi, Celsissimiq; Principis ac Domini;*

**D N. JOHANNIS ERNESTI**  
**Junioris; Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae,**  
 Montium; Comitis Provincialis Thuringiae, Marchionis Misniae,  
 Comitis de Marca & Ravenspurgo, Dynastae in Raven-  
 stein &c. Rectoris Academiae Jenensis Magnifi-  
 centissimi:

*Cum, finitis S. Romani Imperii Comitibus,*  
*Franckfurto, ob praecleara animi generosi specimina ibi-*  
*dem edita, Virtute & Honore triumphans,*  
*rediret;*

IX. Calend. Julii, A. S. ∞ 1612.

**D***um Thuringiacas, Virtute & Honore triumphans*  
*Princeps, JAN- ERNESTUS adit feliciter oras;*

**OENAGORÆ** juga verna plaga latantur; ad undam  
 Subsiliunt glaucâ canentia fronde salicta:

Bucca dat arifonos plausus; stant ordine cives:

Armigeri; sclopporumq; horrore athera terrent:

Ipsemet excitus sonitu Sylvanus, amœnô

E nemore egreditur, vultuq; oculisq; stat extrâ

Attonitus virgulta, novo spectamine captus.

At citò pulverulenta velut, Comitum agmine, nubes

Apparet Princeps J. ERNESTUS, & inclytus Heros

A facie ignotus; quique obviat insuper, Hermes

Aula acris TEUTLEBIADES serie: Ipse serena

Principis ora tuens patulo campi equore; rursus

Erondea tecta subit querceti, voceq; agresti

Oreadas Dryadasq; vocat; jubet ordine Nymphas

Instaurare chorum: praet ipse; corona sequuntur

Musica, & occantant reduci DUCI amabile metrum:

Salve



**S** Alve propago RUTÆ,  
Pro Patriæ salute

Qui jam inchoas labores,

JAN-ERNESTE Patrone!

Macte ô vigore macte

Princeps! Honore macte;

Virtute macte Princeps,

JAN-ERNESTE Patrone!

En viva imago PATRIS

JOHANNIS enitescit!

En denuò virefcit.

Per TE pristina Virtus.

Crescat patrita Virtus;

Crescat patrata Virtus;

Virtus avita crescat,

JAN-ERNESTE Patrone!

SAPIENTER inchoabis,

CONSTANTER exequeris:

DICE hoc docet SALANA,

JAN-ERNESTE Patrone.

Audisne TE st' Phœbum

Sibi gratulari ephœbum?

Plaudit JENÆA Clio

In convallibus; io!

Hoe

Hoc cantu, plenô nemus omne responfat ovatu,  
 Grexque avium cantor, crispanti gutture vernat.  
 Ipse JAN-ERNESTUS frenum levat arte, caballus  
 Altiùs ingreditur; gressus glomerare superbos  
 Incipit, & fulvam flexâ quaterere unguâ arenam.  
 Intereâ heroô SALANUS Apollo cothurnô  
 Proximat, & grandi eloquio mera gaudia promit:  
*Pande fores, EUPHEME animosa, & limina pande*  
*GLORIÆ eburna; tubas infla Polyhymnia, ut ausu*  
*Applausuq; recente, JENÆA theatra resultent!*  
*Marspiter effere ubi tua turgida vota? quid audes*  
*Temnere Phœbicolas? an vita umbratilis hac est;*  
*Quæ simul indoctos slictu sollerte lacertos*  
*Erudit, indultu nostrô, sub gymnade nostrâ?*  
*Aggredere ô magnos, aderit jam tempus, honores,*  
*Clara Ducum soboles, magnum Ducis incrementum!*  
*Perge Themis Musasq; sequi, Dux inclute, perge!*  
 ARTI sic stabit sua gloria, gloria MARTI;  
 Personamque ferēs non inconcinnus uttamque.

*Debita subjectionis & gratulationis  
 humill. ergo F.*

M. Balthasar Gualtherus, Thuring.  
 Profess. publ.

## IX.

**C**ujusvis non est, Cycli contingere centrum;  
*Solius aſt docti: fatur Aristoteles.*  
*Sic non cujusvis, equitando tangere cyclos,*  
*Atq; in iis haſtâ centra tenere probè.*  
 Excipio te JAN-ERNEST Celsissime PRINCEPS,  
*Qui centra & cyclos tangere ritè potes.*  
 Mænia FRANCFURTI viderunt, vidit & ipse  
 CÆSAR: quid? totum vidit id IMPERIUM.

C

Hinc

Hinc tibi VICTORIS meritò gratamur HONORES.

Gratatur nec non gens studiosa simul.

Sit maneat tecum VICTORIA, GLORIA semper:

Semper & ad nostri limina VICTOR erit.

humilimæ subjectionis ergò

συχαίρωv fac.

M. Mich. Wolfius Philosophia Natur.

Prof. P.

X.

QUIS tecum Genius? tecum quis Spiritus? O Dux:  
Jan. Erneste, animum quis DEUS intus agit?

Inter Scipiadas, Fabios, Numas, & Ulysses

Æacidas, Priamos, Scipiadasq; meros

Tyro Neoptolomus vinctes, dupliciq; trophæo

Cæsare Matthia iudice, Victor abis.

Verè hoc à Domino; vix est mortale quod audes,

non hominis, tantos vincere posse DEOS:

Verè hoc à Domino; sine quo nec dextera certa

lancea nec felix esse vel ulla potest.

Dirigat Hic & deinde tuos, DUX OPTIME, gressus,

& donet vitæ tempora sera tuæ,

Sic tantos si dat fructus jam tempore verno,

quantos Autumnos, dic age Ruta dabit?

Debita acclamationis & humilimæ

subjectionis ergò f.

M. Nisodemus Lappius Vinaris

à Concionibus.

Anno

à Deo hic trIVMphVs.

XI. Gra

XI.

**G**Ratulor Illustri quod gratia tanta JOHANNI  
 GERNESTO, Heroum flori, concessa supernè,  
 Victor ut Imperii in Facie generosus ovaret,  
 Romanum Regem cum Sacra Electio signat;  
 Tantum Certa Manus, fœlix & Lancea, palmam  
 Circulus in media quâ fixus parte, dedere:  
 ( Dum, quasi Carceribus volitans sessore, caballus,  
 Quadrupedante gravem sonitu quatit ungula arenam. )  
 O quantum virtutis opus! Minor omnibus Annis  
 Maximus evadit certandi dexteritate.  
 Hinc tua Francfurti geminata est Gratia, cum Te  
 Ipsa Dynastarum Vox Publica laudibus effert,  
 Crateram, effigiem, dans præmia dulcia, Cervi:  
 Inde puellarum tibi grex sua dona decoras  
 Ore refert grates, niveis manibusq; corollam  
 Quin te jam fatis melioribus ipse ferendis  
 Imperii dignum, Princeps, putat Ensisfer armis  
 Atq; tuum gladio cingit latus, accipe ferrum  
 Et sis nunc, Ensis qualem jubet esse, virilis,  
 Justitia Patriam, Dextra pariterq; Tuere.  
 Nunc Vir; nunc Victor; Cultor placidiq; Decoris  
 Diceris, En quantum tulerit via parva levamen!  
 Hac Ego dum meditor, Lar simplex, horridus & Mars,  
 Alternam vellunt aurem, dictisq; coërcent:  
 Oeconomum scis Te? fac missa Palatia regum,  
 Cui cum Stramine res, quid de Trojamine garris!  
 Ast ego: Dux nobis & Marte futurus & arte  
 Posthac Insignis, diuturna silentia rupit,  
 Et desperato calamo, pro tempore, vires  
 Addidit; exulto Patriæ Spem mente revolvens,  
 Arguit Illa Seges sperata tempora Messis,  
 Flos monstrat Fructus quos Serior adferet atas.

C 2

Vive



Vive Salus Patriæ, Dux Inclyte, *semper* Avitæ  
Virtutis Speculum, quo Te monumenta loquantur.

Georg von Sebessen /  
subjectiff. scrib.

## XII.

Quàm pulchrè decorant propexum verticis aurum  
O Dux magne tui victricia ferta triumphi  
Quæ nuper *Solus* præsigni laude tulisti  
Sic nitet auratâ speciosus imagine Phœbus  
Quando diem Eo vernam recludit ab ortu  
Atq; ita si intentis animi quis spectet ocellis  
Quæ sit virtutum series generosa tuarum  
Cœcutiat nitidum ceu *Noctua* tristis ad ignem  
Ipse sat experior: magis at demiror in uno  
Mortali tantum cumulum residere bonorum  
Sed quid demiror? memori quin mente recorder  
Quæ tua sit *Pietas Princeps*, quæ blanda *Venustas*  
Corporis atq; animi, pulchrorum & *gratia morum*.  
Hinc fit ut eventu fausto omnia cœpta secundans  
Omnipotens tanto Te complectatur *Amore*.  
Dicunt Orbiculum quando mucrone petebas  
Bellerophontæum *Charites* duxisse caballum  
Direxisse *Areten* frameam moderamine fausto  
Pieridesq; tubas lepidè perflasse sonoras  
Tympana tenta manu ingenuâ pulsasseq; *Famam*.  
Maeste igitur tali comitatu, celse Dynasta,  
Totius Europæ quo septus Victor abiisti  
Spargere perge adeò tam diæ femina laudis;  
Saxonico surget major sic messis honori.  
Quod superest humili, devotus mente, styloq;  
*Gratulor*: O Pietas penitus Te cœlica inauret  
Dein superirret *Benedictio* larga Jehovæ  
Nectar & Ambrosiam, gratâ ubertate coronet.

Saxo-

Saxonicosq; DUCES, quos & Pax candida cingat.  
Hæc opto, fiet hæc votorum summa meorum.

*Celsitud. Ejus*

*Subjectiff.*

M. David Jhon Lipsiensis  
S. S. Theol. Stud.

XIII.

V O E U

Sur le depart de mon Sei-  
gneur le Duc J E H A N E R N E S T le jeu-  
ne, Duc de Saxe, Juilliers, Geues, & Monts &c.  
partant avec son train de sa Cour le 29. Maii, à 3. h. de ma-  
tin, pour aller à Franckfurt & là, assister au Cou-  
ronnement de l'empereur.

*V*ieilles, ô Dieu; ton siours conduire,  
De ce grand Prince la valeur:  
Maintiens le sauf, & son Empire,  
Et le garde de tout malheur.  
Preserve ce beau Prince au monde  
Qui est du Monde les amours.  
Tou siours sur cui ta grace abonde  
Dun siecle dor comblant ses iours  
Fay marcher les Anges à ses flancs,  
Et quils ne labandonnent pas;  
Ains qui l'accompagnent en tous rangs,  
Et suynent de pres tous ses pas.

par

ABRAHAM DE LA FAYE.

STANCES SUR SON RETOUR

par le mesme.

*S*i jamais ieune Prince habitant icy bas,  
Merita que son peuple honorast sa presence:

C 3

Cest



C'est le Duc JEHAN ERNEST, qui hazardant le pas  
De sa vertu, fait veoir à CÆSAR sa vaillance.

C'est son bras vainqueur, & son vaillant courage,  
Qui fait fleurir son renom, se monstrant genereux,  
Luy met le glayue au poing au printemps de son aage,  
Et pour sa prudence le rend par tout fameux.

C'est pourquoy maintenant, qu'il retourne vainqueur,  
La ioye & le plaisir, qui nos larmes essuye  
D'autant plus doucement rit dedans nostre coeur  
Que le beau temps est doux apres la longue pluye.

Ores que ses faiçts animent les Histoires,  
Relevant des Ayeuls les courages abbattuz,  
Il, doit Bien cueillir le fruit de ses victoires  
Ayant, maintenant produict celuy de ses vertuz.

Si pour sa grandeur les destins de l'espée  
Demandent à son bras des miracles tous nouveaux:  
Ou s'il faut qu'un iour elle soit occupée

Que ce soit pour remplir des faux TURCS les tombraux.  
Il me semble le veoir battre leurs murailles,  
Et de ses armées ouvrir le front & le flanc:  
Et faire en la plaine, au milieu des batailles,  
Des montaignes de corps, & des fleuves de sang.

Le Ciel de qui la grace aux bons est propice,  
Ottroye à ce PRINCE, tout l'heur que luy desire:  
Le tout puissant, tous ses souhaits accomplisse,  
Et le face plus grand, que mes vers n'ont sceu dire.

### ALIUD.

AB EODEM ABRAHAMO FAYO  
Grand. Hel. Ber. Gall.

**O** Utinam nostris conatibus æqua Camæna  
Libera sufficeret, Carmina plura darem,

Is

In tua, quam cuperem praconia solvere linguam  
 Laudibus, & famam ferre per astra tuam.  
 Ast cum sit mea nunc ars intermorta curis,  
 Et desint vires, vota precesq; fero.  
 Gratulor ergo, tuo DUX CLEMENTISSIME honori,  
 Ex animoque tibi, quaque secunda precor:  
 Det Deus ut capias tam splendida saepe BRABIA  
 Ut placuit summo, nunc tibi ferre Deo:  
 Perge isthoc DUX magne modo nunc vincere corda  
 Et FAYUM auxilio perge levare tuo.  
 Hoc igitur stadium placido transturre tenore  
 Vitae & contiguae vim gravitatis adi.  
 Faustus honor tibi sit, toto tibi pectore grator;  
 Actibi DUX JOHANNES, premia mille precor:  
 Sit faelix reditus, tibi mollia tempora currant;  
 Haec precor eveniant; summa caputq; rei.  
 Est ut cuncta cadant felicia, prospera quaeq;  
 Eveniant justo suscipienda modo.  
 Grata sume manu, que lato gratulor ore,  
 Et tibi proveniant illa; tuisque simul:  
 ERNSTHYADE decus Imperii, flos Incllyte fratrum,  
 SAXONICAEq; Domus; vive valeque diu.

F I N I S.






No 542 27

M. C.

ULB Halle  
004 968 417

3



Sb f

V077





152

Dn. J  
Du  
An- E  
Ipse  
Exciteri  
Ex  
Fama vo  
Co  
Ensi feru  
Ju  
Rettulit  
Im  
Qua Mo  
Pra  
Hic ludu  
Q  
Ipse vola  
Q  
Hunc Ele  
Pri  
Ingenti f  
Ho  
Praesul at  
Ex  
Poculum  
Inf  
Venatum  
Alt

STUM,  
em ma-  
ns  
A  
L  
hi;  
m;  
a cur  
Hunc Tibi p  
rs  
manet.  
Hic

